

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Peccatum q
cum fontibus proximo et primo

Nolite contempnere uenialia quia minima sunt,
sed timete quia plura.

Plerumque enim bestie minute multe necant.

Nunquid minutissima sunt grana arene?
Sed si arena amplius in nauim mittatur,
mergit illam ut pereat.
Quam minute gutte pluuiæ!
Nonne flumina implent et domos deiciunt?

Timenda est ergo ruina multitudinis et si non magnitudinis.

Augustinus de decem cordis.

Item, Augustinus in lib. *De decem chordis*,
cap. XI. col. 88, t. V:

«Nolite contempnere uenialia, quia minima sunt;
sed timete, quia plura sunt:

plerumque enim bestiae minutae multae necant.
Si projiciatur quisque in locum pulicibus plenum,
numquid non moritur ibi?

Et minutissima sunt grana arenae,
sed si arena amplius in nauim mittatur,
mergit illam, ut pereat.
Quam minutae sunt guttae pluuiæ,
nonne pluuiæ implent flumina et domos deiciunt?»

Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.

Thomas de Aquino, *Scriptum super sententiis*, 2.24.3.6.2
(P. Mandonnet ed., vol.1, p.631).

Noli illa contempnere quia minora sunt;
sed time, quia plura sunt.

Attendite fratres mei. Minuta sunt, non sunt magna.
Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat.
Sed plerumque et bestiae minutae multae necant.
Si proiciatur quisque in loco pulicibus pleno,
numquid non moritur ibi?

Non sunt quidem maiores, sed infirma est natura humana,
quae etiam minutissimis bestiis interimi potest.
Sic et modica peccata:

Attenditis quia modica sunt; caute quia plura sunt.
Quam minutissima sunt grana harenae!
Si harenae amplius in nauim mittatur,
mergit illam ut pereat.
Quam minutae sunt guttae pluuiæ!
Nonne flumina implent et domos deiciunt?

Augustinus Hipponensis, *Sermones de uetere testamento*,
9.17 (CCSL 41, C. Lambot ed., pp.141-2, ll.617-628).

Quia uero quotidiana et plurima,
timenda est ruina multitudinis, et si non magnitudinis.

Augustinus Hipponensis, *Sermones de uetere testamento*,
9.18 (CCSL 41, C. Lambot ed., p.144, ll.657-659).